Misc 650 n 29

DE
S. SPIRITVS
ADVENTV.
ORATIO

HABITA

In Sacello Pontificio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

A IOANNE SALVIATO
Sem. Rom. Conuict.

Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1679.
Superiorum permiſſu.

143

INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.

IOANNES SALVIATVS

FELICITATEM.

SPlendidam Tui Nominis Vmbram ſuo veluti Iure poſcit Oratio mea, quæ, dum triplici lingua, Potentia nimirum, Sapientia, & Amore, per deciduas in

144

linguarum ſpeciem flammas eloquentiſsimè coruſcanti,locutū cum hominibus Deum oſtendit, Tuos mores exprimit, Tuas Virtutes. Is enim eſt Tuæ Dignitatis ſplendor, ea ſublimitas, vt, vel cùm Orator ad Deum, ad altiſsimum nempè faſtigium laudandorum, aſſurgit; oculis tamen videndus, & laudandus incurras. Triplex igitur ex Te, vt ex Deo, nobis ſuppetit ad Virtutem incitamentum, quo veluti triplici lingua noſtris auribus inſonas. Potentia, qua nulla facundior, vt nulla potentior lingua, Terrarum Orbem edoces, dùm eius viribus adeò liberaliter vteris in commoda ſubditorum, vt omnia pro cæteris, pro Te nihil poſſe videaris, nosque, quorum vtilitati Optimi Principis Potentia ſeruit, dominari credamus.

Sapientia loqueris diſertiſsimè, dùm liberiorem doctrinam ab exed ris,& lycæis explodis, eosque terminos definis ,quos nunquam Doctores prætergrediantur, adorent ſemper. Hoc autem Tibi quàm honorificum! Vix hominum voluntates cæteris Principibus vel ſpes, vel metus ſubijcit, Tibi ſoli ſubijcit Ingenium , Fides, & Reuerentia. Sæuis illi Leonibus præſcribunt iras, tu volandi, tuendique modum Aquilis generoſis. Bonitas poſtremò Tua, & publicæ ſalutis Amor maximè omnium appoſita ad perſuadendum Oratio eſt; Etenim facilè ſuademur , cum beneficia loquuntur. Nos etiam communis Italiæ calamitas abſumeret, inopia rei frumentariæ, niſi camporum auaritiam Tua liberalitas caſtigaret. Exhauſtum ærarium Reſpu-

145

blica doleret ; niſi, auro repoſito, præſenti, futuræque ſecuritati conſuleres, & Poſteritati etiam prodeſſes ad famam, quam negligis, Tibi tantummodò profuturæ. Hæc mihi Bonitas quæſiti Patrocinij ſpem facit, ſuadetque futurum, vt oculos nunquam ſuperbos, nunquam aſpernantes ad hanc meam Orationem flectat, nec humanum dedignetur obſequium Tua, Diuinâ ſolùm minor, Maieſtas.

ORATIO,

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Act. 2. 2.

TRiplici lingua Diuinitas, BEATISSIME PATER, Mortalium animos erudiuit. Humanum ſiquidem Genus, teſte Paulo, per ea, quæ ſuæ vocis imperio prouocauit in lucem, Parens æternus inſtruxit: hanc Omnipotentiæ linguam iure dixerim. Saluber- Ro. 1. 20.

rimæ

rimæ mox Doctrinæ monitis corporatus Dei Filius informauit: hanc Sapientiæ linguam appellauerim non inſcitè. Diuinus hodiè Spiritus per ignem ſplendidè diſertus alloquitur: hanc Bonitatis linguam non abs re vocauerim. Tanti Deo eſt humanus animus, vt ei mouendo, inſtruendoque tota Diuinitas vacet. Ne Diuinum ſilentium, & quandam ex ſilentio conniuentiam in patrandis ſceleribus excuſaremus, triplex noſtris auribus inſonat nunquam taciturus Orator.

Huius tamen triplicis linguæ non vna vis fuit. Et primæ quidem operatorio ſermoni fructus non reſpondit. Ad fontem riuus ſuo ipſo ſuſurro diſertus inuitat, eius tamen voces non audit imprudens Viator, ſuæ ſitis inſania animum, & aures occupante, vultque riuo debere leuamentum ſitis, quod fonti glorioſiùs deberet. Haud abſimili ratione, quamuis Deum prædicaret, Deique memoriam rerum creatarum venuſtas, & varie-

rietas ingereret; his vocibus nihil permoti, rebus creatis, quæ riuus, & participatio quædam Diuinitatis ſunt, fontem Diuinitatis ineſſe, per inſanam earum appetentiam, credidere Mortales. Hinc ille populus Idolorum, & plures Dij, quàm homines, tantaque multiplicandorum ſibi Deorum libido, vt ipſis cum vitijs Diuinitatem communicauerint, eaque communicatione ſuſtulerint; nullus enim Deus, ſi multiplex, & per humani fauoris ſuffragia deſignatus. Neceſſitatis enim, non arbitrij nomen Diuinitas eſt. Altiores indè voces per obſtrepentia miracula, vt rerum nouitate ſimul, & magnitudine commoueret, edidit Omnipotentia Patris, ſolos tamen Hebræos habuit auditores.

Alteram igitur linguam nobiſcum adhibuit Sapientia Filij, non eloquentia tantum verborum vſa, ſed exemplorum. Eâ tamen loquente noſtra nobis aures obſtruxit ignauia, ſaluberrimas voces diſſipauit ambitio, Cæleſtem ſonitum exau-

diri prohibuit turba ſceſerum circumſtrepentium: Crucis etiam ſupplicio damnauimus, nec effuſum ſanguinem exaudiuimus noſtra ſcelera lamentantem. Quid fieret nequicquam Patris Omnipotentiâ, nequicquam inclamante Sapientia Filij?

Vna ſupererat Amoris lingua, eâ, Act. 2. 2. dùm factus eſt repente de Cœlo ſonus, per vocales flammas Spiritus Diuinus inſonuit. Qui ſibilo auræ tenuis non ſemel ad aures luſit, in ſpiritu vehementi deſcendit, an, vt ſurdas hominum aures excitaret? an etiam in argumentum Diuinitatis in ipſa blandientium linguarum, & Amoris effuſione terribilis? O prouidam Dei Charitatem! Qui Diuinam Omnipotentiam, vel per miracula ſonoram non audiuerant, qui Diuinæ Sapientiæ doctrinam exemplis, & ſanguine confirmatam vitijs efferati non perceperant, Bonitati per Oratrices flammarum linguas inuitanti ceſſere tandem, Amori ceſſere, cuius vocibus nec ſaxorum duri-

ties

ties ſatis ſurda eſt, nec feritas belluarum. Nec dubitationi locus. Intuemur quippe Petrum fæminea nuper voce perculſum, Vrbes modò prouocantem, & Regna, ſuumque dominatum inædificantem Idolorum ruinis, & Imperiorum; Cæteros Apoſtolos intuemur meticuloſum nuper Gregem, profugum, deſertorem, tyrannis modò, & Leonibus inſultantem; Vrbem hanc intuemur virtutum Sacrarium factam ex emporio vitiorum, illudque fateri cogimur, à Diuini Spiritus Bonitate per Oratorium linguarum incendium fæliciſſimè peroratum.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE